...stophorus Ioannes
Episc. Varmiensis et Sambiens.
Ordinis Canonicor. Regularium S. Sepulchri Hierosolymitani Conventus Miechoviensis: Via clarissima.

VIA CLARISSIMA

Quâ

CELSISSIMUM PRINCIPEM,

ILLUSTRISSIMUM REVERENDISSIMUM DOMINUM DOMINUM,

CHRISTOPHORUM JOANNEM

in SŁUPOW

SZEMBEK,

EPISCOPUM

VARMIENSEM & SAMBIENSEM,

DUCEM & PRIMATEM PRUSSIÆ,

In primo sui felicissimo ad Cathedram Varmiensem

INGRESSU,

Pedisequa Devotissima Religio
Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi
Sepulchri Hierosolimitani Conventûs
Miechoviensis

Ligatis in obsequium animis, pedibus & metris Poëticis

PRÆPOSITUM suum MIECHOVIENSEM
GENERALEM,
BENEFACTOREM
MUNIFICENTISSIMUM,
votis ac faustis acclamationibus

COMITATUR,

Anno Salutis 1725to Die 19 Maij

CRACOVIÆ,
Typis Viduæ & Hæredum Francisci Cezary, S.R.M. Ordinarij Typographi.

In Stemma
CELSISSIMÆ DOMUS.



QUò graderis Princeps ſequimur: clariſſima nobis
    Currentes Damæ dant documenta viæ.
Ad cælos properant, has ſi comitabimur, unâ
    Nobis ac illis, culmen Olympus erit.
Nec nos Saxoſi retrahent à tramite colles
    Sternetur nobis ſemita quæq; ROSIS.

Aliud.

Hæſerunt CAPREÆ celeres ad Balthidis oras
    Per freta num poſſent ocyùs ire pedes
Si primis pedibus ſuperaſtis culmina terræ
    Poſtremis etiam tranſilietis aquas,
Currite felices trans vaſti littora Ponti,
    Nullibi meta patens æthera præter adeſt
Quò vos fata trahunt, quo nobilis entheat ardor
    Ad numerum poſitis nos ſequimur pedibus.

CELSISSIME PRINCEPS,
ILLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME, REVERENDISSIME, DOMINE, DOMINE, CLEMENTISSIME.

PRimum Celsitudinis Vestræ *gressum ad Varmiensem Cathedram, scandit metro pedissequa Religio Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani, ac de Diviniori illius Rupis vertice, quàm veteris Parnassi venerabũda ad pedes procurrit. Deducit pedes* Celsitudinem Vestram *ad ipsas Balthidis oras, pietatis ac devotionis studio, quoniam Tulliano eloquentiæ flumine, in vastum mare dicendarum virtutum, ac laudum* Celsitudinis Vestræ *descendere ac influere non valet. Meretur dispartita in Ducalem & Episcopalem Mitram, supra mortalium cætus erectior virtus* Celsitudinis Vestræ, *à bicipiti Parnassi culmine Phœbi & Musarum adorari: nam licet absolverit innumeros cunctorum meritorum passus, deduci tamen debuit per numerum Pöeseos, præsertim à nobis ligatis ac vinctis intra nexus beneficiorum Clientibus suis.*

Parcet affectui nostro infra mensuram & modum posito, qui ausus est magnitudinem gloriæ Nominis Celsitudinis Vestræ, *còarctare carminis sui angustiis, quem prius intra viscera sua obstrictum tenuit. Reus est quod fimbriam Ducalis, Episcopalis, & Senatoriæ Purpuræ, plectri sui fide attigerit: sed quia pius & devotus, ducatur ergò vinctus inter captivos, ad plenius Ingressûs* Celsitudinis Vestræ *ad Cathedram publicæ lætitiæ tripudium, & majorem triumphum: magis etenim gestiet inter tot hilaria populorum totius Diœcesis magnitudine gloriæ* Celsitudinis Vestræ *vinciri, quàm inerti otio solvi, & obrutæ silentio gratiæ convinci. Succumbit igitur magnitudini operum & meritorum* Celsitudinis Vestræ *tenuis Clio nostra, cujus mensuram carminis angusti, angustiis factis suis excessit; & ad pedes* Celsitudinis Vestræ *supplex procumbit, ut ejus humile carmen benefico aspectu Pontificio dignetur. Divino illa Spiritu, ut potè in vivifico Sepulchro Domini agitur, prædicens fatidicè, nullam viam ad culmen Honorum, & meritorum futuram esse arduam & imperviam, quoniam immortalibus studiis mortalium, prius evehitur* Celsitudo Vestra *antequam illud adeat, & quam tituli* Celsitudinem Vestram *non faciunt Purpuratam, sed accipiunt. In hoc igitur vivifico Sepulchro alto gemitu Psalterij & Cytharæ die ac nocte non cessat collaudare Nomen Domini pro ingressu & progressu felicißimo, ut pro bono publico Ecclesiarum & Reipubl: annis meritisq; repletam* Celsitudinem Vestram *conservatam perenniter esse velit. Ita precatur*

Illustrissimæ Excellentissimæ Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus Cliens
&
Obsequentissimus Servus

P. B. C. M. C.

CARMEN
Magno & meritiſsimo Honori Pontificio in ſolennibus ejus auſpicijs ingreſsûs ad Cathedram
DEDICATUM.

ORbis in Arctôó ſi Pruſſia terra Polono
Tempore præterito Trabeas fulſiſſe ſacratas
Viderat in Summo, primo de ſangvine creto,
Principe POTOCIO: pariter concluditur uno
Purpureæ veſtis Sacro quo fulget in oſtro
Majeſtas SZEMBEK: ſpectando Principe digna.
Purpura nunc viſenda Roſæ, quæ flore venuſto
Arvorum canam faciem, templiq; coronat,
Vndiq; puniceis auguſta palatia ſertis
Venit ab arcano; res optatiſſima cordi
Auguſto reſerata ſinu; de flore Senatus
Præſul purpurei lectus, moderamine dulci
Ille Tuos flectet, Sacros ô Varmia faſces,
Inſolitas miraris opes. Præneſte beatum,
Floribus ex cultis, Pæſtana Roſaria paſſim
Hiccine Sol aperit tandem flammante ſacrato
Quo caluere dies oſtro? Zephiriq; ſereni
Principis ingreſſu ſpiracula dulcia toto
Effudêre polo: fit jucundiſſima rerum
Momento facies, ſonat æther, ſidera plaudunt.
Ite triumphales pro noſtro Principe voces.
Varmia mille canit ſacra teſtudine vivat,
Tot meritis doniſq; Caput prænobile vivat.
Hæc Pæſtana diu vivat Celſiſſima Proles.
In plauſus effuſa novos, en obvia Gentis
Tota Tibi devota cohors, en agmine fuſo

Ex deſignatione Regia transfertur ex Epiſcopatu Premislienſi, ad Epiſcopatum Varmienſem A. D. 1722do.

A Ster-

Sternit iter lætum: festas florumq; procellas
Inq; viam spargit: manibus dat lilia plenis.
Quis decor hic? quæ grando calens? quæ gratia tanta?
Copia quæ rerum? dùm ruptis nubibus imbres
Lætitiæ: subitâ florum cecidère procellâ.
Sufficit iste Tuus splendor. Tu veris amænas
Circa nos aperis gazas: Tua flamina nostras
Spirantes animánt fibras, & barbita Phæbe
Quæ Te non claudunt, plectro majore canendum.
Nam visendus ades carus, cui gratia præsto
Ore præit placido; specie totusq; decorâ
Mentibus occurris. Pro Te dulcedine mirâ
Perfusis animis Musæ, Charitesq; laborant.
Inq; Tuo suspensa gradu præcordia nostra
Cordaq; cuncta patent. Te summus & omnis
Sublimem dat amor. Redimiti mille coronis
Imus ad Entheos raptus, Tecumq; calemus
Igne Tuo, festisq; Tuis ad festa Cathedræ.
En jam Pierides quarum Parnassia rupes
Numine tota sonat, nunc Te, Trabeamq; decoram
Vellere purpureo, spargentem fulgur in auro
Virtutum, vario condistinctamq; colore,
Pastorem vigilem cantant, testudine Sacrâ,
Os charitumq; canit: totus quoq; concinit Orbis
CHRISTOPHORI celsum Magni cum sangvine Nomē,
SZEMBEK purpurei flos nominis, ergò JOANNES
Mentis ebur niveæ, tersissima gratia salve:
Gloria Sarmatiæ, pretiosaq; gemma Coronæ,
Et Cleri pariter cuncti Tu gemmea salve.
Virtutum sublimis apex: cælestia dona:
Excelsæ dotes: terrenaq; culmina quævis
Quæ Te circumstant: quibus exornaris in auge,
Non capit hæc testudo minor: formidine justâ
En tremulum contrectat ebur: dextræq; calores
Non sentit vatis genius. Sculpenda columnis
Nomina, victurumq; decus, cedroq; notandum
Æternum quodcunq; geris, numerinè coarctant
Carminis angusti? numeros absolvis & omne
Hu-

Humanum ſuperas cælo vicinior ipſo
Culmen cum roſea Tu Majeſtate decorus.
Ponè ſupergreſſo ſi culmina quæq; coronas
Vertice, ſis plectri major laudumq; corona:
Purpura Tu calami, pretium, Tu maximus ex Te,
Tu cytharas animosq; moves Tu dulcis Apollo.
Maxima congeries Præſul ſvaviſsima laudum.
Sangvinis ergò Tui per ſeptem clara Trionem,
Quanta vetuſtatis ſit gloria, ducta per ævum
Nexibus antiquis, & non conſumpta tot annis,
Nec tantâ rerum ſerie: nam CAROLVS ille
Magnus in occiduo reſtauratoq; potenti
Imperio Cæſar: quando poſt ardua victus
Prælia, Saxo ferox, ejus fractusq; triumphis
Ceſſerat in ſpolium: jam tum victricia ſigna
SZEMBECIVS Mavors tulerat, per diſſita regna,
Sive per Heſperias cultas, Latijq; per arces
Per populos Iſtrum, Rhenum Rodanumq; bibentes,
Irruit in ſtrictos enſes, in vulnera pectus
Obtulit, & mortem: cupiens per cædua buſta
Ire cruentatis ad Nomina clara trophæis.
Heroæ mentes, non claudebantur in uno
Climate, SZEMBECIDVM: ſed poſtquã creverat inter
Lilia Gallorum culti nitidiſſima Regni
Inclyta Progenies; varias diffuſa per oras
Teutonicas demum petijt: quin pulchriùs illa
Tranſplantata ſolo Patrio, præclara Roſarum
Germina, vitales Plantæ, Reginaq; Florum
Vernarent longo terris cæliſq; virore.
HENRICOS ſileam, ſileam Te CAROLE Quarte,
Cæſareæ quibus Imperij ceſsêre Coronæ
In Caput auguſtum: ſub quo diademate Veſtro
Vidit SZEMBECIOS Alemannica terra nitores.
Tu MAXIMILIANE mihi, Tu proximus inſtas,
Tu cytharamq; moves, per teſqua, per antra ferarum
Dum caperes prædas: virtutis grande theatrum
SZEMBECIIS Capris, Te compoſuiſſe fatemur:
Ex quo decurrunt meritorum paſſibus æquis

 Par

Par Damis spatium per summum culmen Honorum.
Ipse levaturus curas venatibus, ibat
Cæsar in abruptos montes, saltusq; ferarum,
Alternis mentem vicibus recreare paratus:
Ponè sequebatur propior præclara Juventus
Et Comites lateris Domini. jam ductile cornu
Bella ciet: jam turba canum, fortesq; Molossi
Jam spelæa petunt: sævisq; latratibus urgent,
Cæsarei nemoris læti, densissima latè
Robora, Sylvanûmq; Domos, Satyrosq; fugaces
Ingenti rauci strepitus clamore fatigant:
Jam venator adest, tremuli, pavidiq; timores
Cautibus, & Sylvis, ipsis & frondibus hærent,
Quidne feris pulsis? horret genus omne ferarum.
A canibus quo pulsa volat, quo bellua currit,
Huc Cæsar Spectator adest: ciet ipse Molossos
Insequitur celeres damas: prærupta patebant
Rupis in occursu. cernit propè limina fatum.
Jam raperet prædam Dominum Libitina potentem
Ni sibi SZEMBECIVS præstasset rebus in arctis
Auxilium: lethiq; vias clausisset apertas.
Cæsaris evasit casses, cum Cæsare salvo
Dama nimis felix: sed non evaserat omnes,
Incidit in Roseos antiqui Stemmatis hortos,
Et stetit in titulum servatæ præda salutis.
Non saltus jam sed summos percurrit Honores
In seros revehens decus immortale Nepotes.
Quiq; per Imperij tractus, longosq; recessus
Iverunt, quo celsa viam per fortia virtus
Sentibus & spinis stravit: quo Martius ardor
Impulit ingentes animas, quo Classica fortes
Oblectant mentes. Hinc per longissima rerum
Et famæ monumenta suæ, palmaribus actis
Implevêre polos, totumq; à Gadibus orbem.
Flammeus ille tamen fervor virtutis ad intra
Vno stare loco nunquam potuitq; teneri.
Nec restinxit aquis Albis, nec Rhenus, & Ister.
Ardorem mentis zelantis nomen honestum.

Ve-

Verum limitibus ruptis, latiſſima quæq;
Æquora camporum, queis latè terra Polona
Vbere feta penu, ſegetumq; per aurea Tempe
Expanſoſq; ſinus, & per viridantia prata
Fundit opes: & bellorum decus omne Polonum
In plano poſuit, ſtatuitq; patentibus agris,
Has petiêre plagas. iſtis Heroibus âpta
Viſa cruentatis tellus ornata trophæis,
Protinus ut viſo ſubito riſêre Poloni
Flore novo campi, plani per aperta jacendo
Pandebant ſtadiumq; Viris, ad Olympica natis.
Rege SIGISMVNDO victricia Sceptra tenente, *Regnante Sigiſmundo Auguſto advêtus Szembeciorum in Poloniam.*
SZEMBECIOS Lechici virtus, & gloria Martis
Fecerat Auguſtas Aquilas Regisq; potentis
Regia caſtra ſequi: quo belli duxerat ardor.
Ivit ALEXANDER promptus diſcrimen in omne *Alexander Szembek in expeditionibus varijs bellicis ſumma virtute celebris.*
Adverſas acies contra: per mille pericla
Perq; ſtrues Martis, calcatæ mortis acervos
Prodigus ipſe ſui; tanto ſpiramine cordis
Bella ciens vaſto; proprium ſpiramen ut ipſum
Pro Patria tulerit caræ in diſpendia vitæ.
Nuſquam depoſuit clypeum, galeamq; madentem
Sangvine, quam ſemel induerat; ſed totus in armis
A teneris gladio non exarmatus Achilles
Nec belli cedens oneri. ſub pondere Palma
Altior ut ſurgit: pariter præſtantior ipſe
Eminuit. Seu mavors cum MICHAELE rebelli *Contra Michaelem Moldavum ſub Joanne Zamoyſcio ſtrenue decertat.*
Dacicus incubuit gravior, Ductore JOANNE
ZAMOYSCO celebri Mavortia ſigna regente,
Suppoſuit validos humeros, retulitq; triumphum,
Sive Sudermanus Livonica bella gerebat, *Contra Sudermanum Svecum in Livonia Duce Carolo Chodkiewicz.*
CAROLE CHODKIEWICZ Tua quãdo Clava ſuprema,
Agmina Lechiadum contra cogebat in hoſtem,
Roboris Herculei Suecus quam ſenſerat eſſe:
Tunc Heros habuit volupè, ſub ceſpite duro
Excubias vigiles & fixâ ſtare ſariſsâ,
Figere Victorem gladium ſub pectore victi.
Succeſsêre dein cum Moſcho prælia ſæva:

 Obſi-

Obsidione gravi premit hostem: vulnera spernit.
Augustis oculis coram, facieq; Polona
Castrorum totâ: dum fortia clamat, & ardet,
Martis in ardenti Patriæ, cadit hostia busto.
Occubuitq;, ciens pulchram per vulnera mortem.
Extitit hinc rosei pulcherrima purpura Floris
SZEMBECIJ, nec sponte rubet: sed tingitur ostro
Sangvinis effusi, flos spectatissimus Orbi:
Hoc demum palmare ratus, sic ponere vitam
Vt Patriam caramq; Domum servaret ab ictu
Fatali rerum. nobis monumenta relinquens
Digna cani. Virtute pari tractaverat alter
Hæc eadem Frater dextris HIERONYMVS arma
Conjunctis victricibus: hi duo fulmina belli
Scipiadæ: geminum par: in certamina ferrum
Stringebant promptum. famam lateq; Gradivi
Auxerunt Lechici, per tela cruenta per enses,
Per tot contemptas mortes. Hinc Clima Polonum
Jam cernit roseum per grandia facta Nepotum
Affulsisse; decus Patriæ: quo sangvis amicus,
Viscera possedit Lechiæ Sellasq; Curules,
Majorum Ceras quibus Orbis secula vidit
Prisca coronari longinquo Sole calentes
Ornariq; plagas: quantum longæva Nepotum
Extulit ad culmen Summum, Sortemq; beatam
Progenies: pietate pari, belloq; paratam.
Trivit inaccessos calles per summa laborum
Invia; bellorum per tot discrimina mille,
Perq; cruentatas acies, per gesta Gradivi
Heroas mentes ducens SZEMBECIA Proles,
Pugnaces animasq; ferens. Spirasse Leonem
Præclaræ sobolis Genium totumq; Gradivum
Calside vestitum rigidâ conspexerat Orbis.
His basibus solidis, forti virtute locatis,
Celso succrevêre tholo fastigia stirpis,
In tantam molem; ceu dùm radicibus altis
Accrescens, serpensq; diu per viscera terræ
Arboreæ molis patulas extollit in auras

Occubuit Alexander Szembecius in obsidione Smolinsko.

Alter Frater Hieronymus in ijsdem expeditionibus fuit.

Præ-

Prægrandes ramos, quando Celſiſſima Cedrus
Nubibus exæquans humeros, cæleſtia tangens
Sidera, de Libani protendens vertice ſummo:
Haud aliter ſublime Caput, robuſtaq; late
Colla tulit: fatisq; ſuis animoſior ivit,
Grandior adverſas poſt eluctata per auras
Planta Domus Roſeæ: quæ ſummum crevit ad uſq;
Culmen Lechiaci Majeſtatemq; Senatus.
Celſior & quis erit vertex? faſtigia quænam
Verticis audebunt paribus certare cothurnis.
Altior eſt terris, Caput inter ſidera condit
Hæc Roſa SZEMBECIDVM; latas quæ tendit in oras
Frondoſos ramos: ſuperos quæ paſcit odore:
Et cujus placidâ populi ſpatiantur in umbra.
Submittis lenes humeros & fortia Stirpis
Brachia cum ramis Tu nubibus æmula tollis
Culminis in ſummo poſitus FRANCISCE Parentum
Fortunate nimis, fecunda Prole beatus
Tu cantandus ades, cujus robuſta diuq;
Eximijs crevit meritis, altiſſima virtus,
Excelſo viſenda polo Patriæq; theatro.
Senſibus à noſtris, longè non esq; remotus,
Cordibus in noſtris Tu ſpiras flore recenti
Spirabisq; diu vivæ virtutis odorem,
Par Atavis, Proavisq; Tuis. imò unicus in Te
Tot meritis, titulisq; Viros inſignibus, omnes
Claudis, & æternæ conſignas omnia famæ.
Nempè Tuum pectus totum cum Pallade docta
Implevit Conſus. veterem Tripodemq; Poloni
Hunc coluêre ſuum: pro Majeſtate Coronæ
Divinos ſenſus, oracula digna locutus,
Et quæ marmoreis fuerant ſculpenda columnis.
Hic pacis curas, pariterq; negotia belli
Maturâ ratione librans, cum fine decoro
Novit ſangvinei palmas connectere Martis
Pacificis oleis, digno conamine mentis,
Gloria Sarmatiæ Libertas. Splendor, & omne
Conſilij robur, præclaraq; norma Minervæ;

Illuſtriſſimus Franciſcus Szembek Caſtellanus Camenecenſis, Parens Illuſtriſſimi.

Aurea mellifluı dulci cum nectare svada
Pectoris electi penetralibus, inq; probato
Condita cuncta sinu, decora infinita Paterni
Hæc fuerant animi, conclave Sacrumq; tenebant.
Hinc Civilis amor calamum sacraverat illi
Craciacæ terræ, quo felix, juris aviti
Factus Patricium culmen, tum Regula Legum.
Hic ubi Libertas, præclara Senacula pandit
Nuntius existens; toties se purpura Svadæ
Illius in roseo vultu, facieq; Senatus
Explicuit: sensuq; gravi, vultuq; Togato
Nec sibi flos oris tantum, Pæstanaq; mirè
Gratia mista rosis, fecundo germine vernans
Dulcis erat: verùm trepidis sed rebus in ipsis
Hunc gravitas fundata Virum, candorq; fidesq;
Et veri sincerus amor solidaverat ipsum.

Notarius primo fuit terrestris Palatinatus Crac.

Ad generalia Regni Comitia ex Equestri ordine Nuntij munere sæpius functus.

Regia FRANCISCVM cernens lux aurea mentis
Os dictis, animumq; parem pro munere ferre
Confestim statuit, cùi Præfectura Becensis
Pro meritis fieret carum cum munere, læti
Ominis auspicium Trabeæ, Sellæq; Curulis
Et decretus Honos stetit, ut radiaret in auge
Sarmaticæ lucis virtus, quantocyus, & se
SZEMBECIJS consors vestiret Purpura Ceris.
Ergò judicio summo censura JOANNIS
Invicti Regis cum Te FRANCISCE probasset
Post impensa bono Patriæ tot munera, totq;
Obsequij partes impletas, grandia facta,
Insessum toties Regni sublime Tribunal,
Decrevit: Castellanus Sanocensis ut esses,

Deputatus multoties ad Judicia Tribunalis Regni.

Fit Castellanus Sanocensis.

Legit, is ad Patriæ Trabeas, lectissima corda
Exactus Judex, & Dispensator Honorum,
Divinusq; Tripos, Regni tranquilla potestas,
Bellator, Patriæq; Pater, Supremus ubiq;
Victor, & adversos armis, quos vicerat hostes,
Rex & amore Patris vincens Civilia corda.
Quanta Vienna Tuis firmis sub mænibus ipsis
Monstra, catervarum portentosiq; Gigantes

No-

Nostris incubuêre plagis: cum turbine sævo
Machina bellorum, grandis Tytania mota,
Vndiq; terrarum commotus Thracius orbis,
Detonuit. quidquid Lybicas, & Persidis oras
Euphratem Maurosq; sinus Gangemq; Tigrimq;
Accolit: & quidquid Cancri torquetur ab æstu,
Quidquid Olympiacos colles, Pindumq; fatigat,
Cycladas & Graium, formidandamq; Mæotim,
Tempestas Orientis atrox, & mole tremenda,
Et gravis ipsa sibi, totum cum gentibus Orbem
A fundo movit. Regnorum summa Charybdis
Biston atrox. immensi Christiadumq; cruoris
Tot jam diluvijs nondum satiata vorago,
Perniciem minitans populis, à cardine motas
Immensas Asiæ vires, & castra stupenda
Intulit Hunniacis, & totam fudit in oris
Colluviem Martis: diductis faucibus ingens
Helluo Regnorum, qui Mænia tota Domosq;
Oris ut ingenti subito rapientis hiatu,
Et rictu valido, totum sorberet in uno
Orbem Christiadum, voto decrevit iniquo.
Bistonicam contra rabiem, contosq; Gelonum,
Quis stetit intrepidus? quis fortia tela retorsit?
Res propè concussas, & fractas cardine toto
Quisnam restituit? cælos ipsosq; ruentes
Sustinuit? validis humeris & Principe dextrâ?
Inconcussus Atlas, invictus Stator, & armis
Vnio Christiadum, victoria tota JOANNES.
Bellipotens Mavors, Orientis Victor, & Vmbo
Maximus Europæ Princeps, furialibus armis
Regalem Clypeum quô non præstantior ictus
Vllus ad hostiles stetit impenetrabilis Vmbo
Opposuit. contraq; truces ceu monstra Medusæ
Et vastos hostes, quêis nulla potentia par est
Viribus eminuit. peruastâ mole furentes
Diruit Encelados: & lento turgida fastu
Æternum lugenda probro, velut icta trisulco
Fulmine, comminuit feralia castra focosq;.

Et Regis quamvis dextrâ contrita potenti
Castra fuêre tamen Vezyrus barbarus ausu
Restituit gemino: vires collegit ad Istrum
Strigoniumq; furens: sed bina sorte Gradivi
Sarmatici cecidit juncti cum Caesaris armis.
Victoris gladius, quos non absorpsit in ictu,
Vorticibus Thraces rapuit, mersitq; profundis
Vltor Danubius. Lymphatum sicq; cruorem
Illa suum, sitiens nostrum, lymphata Propontis
Ebibit: & proprio mansit submersa cruore.
Quo feror attonitus? Genij quô barbiton extra
Flamine corripitur? dulcis nos entheat ardor
In longinqua rapi, quantum feror, en feror illuc

Ab eodem Serenissimo Joanne III. Rege transfertur ad Castellanatum Camenecensem.

Ad Camenecensem rosei quo tramite floris
Te volvit dignum censurae Principis ingens
Gloria, promeritam sublimiùs ire Curulem.
Summa Tuae laudis, virtutum Lydius ille
Exactusq; lapis, quô de meliore metallô
Cor FRANCISCE Tuum, puram mentemq; probavit
Ille Coronatum Trabeatus Censor & Argus
Sufficit. hic Regalis apex operumq; Corona,
Eximias justo qui sublimavit honore
Ac Titulis dignis dotes ornaverat in Te.
Verùm splendores cuncti, terrenaq; quaevis
Culmina, celsus Honor, fortunarumq; nitores
Quos habeant latices? & fontis origo perennis
Quae sit? & unde fluant? quae sit mensura decoris
Purpurei? certè pietas, & candor eburnus
Innocuae mentis: cor simplex & zelus Honoris
Divini. Vigiles curas habuisse Parentem
De Superis: Superi sic prodiga dona vicissim
Effudêre super denso currentia nimbo.
Ampla sat erectis Sacris impendia Templis
Numinis in cultus tribuens, & viscera pandens
Tota DEO: ceu dùm fulvas profundit arenas
Tempestas pretiosa Tagi: vel stagna rubentis
Aurea Pactoli rutilum dum littus inundant,
Fundebat potiore sinu, regalia dona,

In

In Divos, Sacraſq; Domos, & Templa Tonantis.
Veris his opibus gaudens, quas ſparſit in uſus
Seraphicos FRANCISCE Tuos, Fratrumq; Tuorum.
Hic poſtquam roſeis CASIMIRO lilia caſta
Plantaſſet manibus: Superos tribuiſſe fatemur
Seraphicas mentes Natis, & pectora caſta
Quos ſervat pietas clauſtris, quos Infula Sacra
Contegit: exornat Lechicus quoſcunq; Senatus,
Vt verumq; canam: Numen promiſſa rependit,
Divinum: poſuitq; Domum ſplendoris in auge.
Et Zielenicenſes Magnæ dum Virginis ædes
Commemoro, quarum roſeis altaria ſertis
Cinxerat. Alma DEI felici prole beatum,
Nonne coronavit Mater fecunda? mariſquè
Dives Abyſſus, fons pietatis, origo bonorum.
Gloria quanta DEI! cordis ſolatia quanta
Magna Patris! Natos ſi vivens is meruiſſet
In tot Præſuleis claros ſpectare Tiaris!
Ille maritali conjunctam fœdere Sacro
Fecerat in vitæ ſociam de ſangvine natam
Odrovoſiano quæ ſpectatiſſima facta
Viſa Palatinis Trabeis in Fratre JOANNE
Siradijs poſito fulgentis in auge Senatus.
Sangvine Magna ſuo, major virtute Lacæna
Digna tot ex titulis, verùm digniſſima longè
Grandibus ex meritis, Natorum norma pudoris
Et ſpeculum pietatis, amor veriq; probiq;
Maxima quàm fuerat, nunc dignoſcenda per ævum
Dotibus ex ſummis Prolis, Trabeiſq; relucet.
Recti Formatrix animi, morumq; Magiſtra
Mater candoris, virtutis, & aurea vitæ
Regula. Nimirùm Superos ſi ſangvine tangat
Nexibus antiquis juncto, cum flore Beati
Flore Marianis Hyacinthi dulcibus olìm
Delicijs digni, quidni non tángat & ipſum
Connexum ſimilem morum, dotumq; decorem.
Fragrans floris odor Te ſpectatiſſima Mater
In cælis, terriſq; manet: victura decores

Templum S. Caſimiri Reformatorum PP. extruit.

Templum Zielenicenc. B. M. Virginis ædificat.

Coniunx illius primi voti fuit Sophia Illuſtriſſima, Soror Odrovaſii Pieniażek Illuſtriſſimi Palatini Siradienſis.

Nati ex ea filij Illustrissimus Praclaus Castellanq Voynicensis. Stanislaus Primas Regni Michaël Suffraganeus Cracov. Episcopus Paphensis, Abbas Tynecensis, Antonius Szembek Canonicus Crac. Rosalia Monialis Carmelitana, Teresia Monialis à Visitatione.

Inter odoriferos florum, pulchrâq; Rosarum,
Ex Te Natorum jugiter stipata, coronâ
Stabis in Elysijs campis: Natusquè, Curuli
Te Voynicensi nitidam super astra locabit,
Alter succendet flammis pia thura Sacerdos.
Archiq;præsuleæ, Te Præsuleæq; Tiaræ
Conspicuam reddent. Tibi Sponsa Rosalia CHRISTI
Seraphicum Sidus Carmeli vertice splendens,
Et puri cordis TERESA Salesia Virgo,
Cælestes hymnos & dulcia cantica psallent.
    Linquimus interea portum pelagoq; volamus
Alto SRENIAVIO, de quo RVPNIEWSCIA Mater
Surgit Nympharum pulcherrima, Gratia tota,
Et Charitum Mater, votis conjuncta secundis
Cum Castellano primæ post fata Maritæ.
Hîc jam Thespiadum fontes, Cyrræq; fluenta,
Bellerophonteo Sonipes quæ fodit in ictu;
Vatum deficiunt: velut absorbentur in uno
Oceano magno fluvij: SRENIAVIVS amnis
Sorbet inexhaustas sic vasto gurgite laudes.
Non tantas Neptune spuis per littora gemmas
Dives Erythreis quantas SRENIAVIVS undis
Fundit opes: nec tam morientia vota Coloni
Nile Tui reficis: tribuis vivumq; vigorem
Exaridis herbis: quantum felicior iste
Sarmatiæ Nilus, longè, lateq; refusus,
Langventes populi vires vegetare paratus,
Vitales supplendo vices, vitæq; medelam.
Hinc aridam, tremulamq; sitim, propellit ab ægris
Corporibus miseræ plebis, reficitq; perenni
Irrigui fontis jugiter manante scatebra.
Hinc sinuat cursus, sursumq; fluenta retorquens
In cælos supra violentior influit ipsos.
Dùm pietate Sacras Divûm circumfluit aras
Et quæcunq; suis intus pretiosa lacunis
Continet: hoc totum, læto de viscere fundit,
Grandinat & gemmis, rutilanti spumat & auro,
In cultus Superûm: Eridano sublimior ipso.

He-

Heróum claſſes vehit: & victricibus armis
Ponti ſe gelidis nunc Volgæ finibus infert.
Irruit inq; Tyram; nunc carpit Balthidis oras,
Martia belligeræ ſtirpis, veſtigia linquens
Vndiq;, victrices circum ſua littora Palmas
Irrigat, & refovet, Martem ſpumantibus undis.
Hic vitreas ripis vernantibus undiq; Sedes
Theſpiades fixère ſibi: felicior inde
Muſarum Domus hæc, quò purior eſt Aganippe
Fontibus antiquis, licuit quos more Pelaſgo
Priſcorum gravidis per ſomnia gignere curis,
Dulcior eſt Muſis Helicon SRENIAVIVS iſte
Ac potior cunctis, Charitum Phæbiq; voluptas.
Ergo Pierides quidquid Permeſſidos undæ
Veſtra fluenta valent, id totum defluat omne
In memores animos: ut Theſpia barbita veſtra
SRENIAVIAS undas ſvavem fontemq; coronent.
Gemmifero hoc prognata freto RVPNIEWSCIA Mater,
Mater gemmarum, Proceres quot protulit Orbi.
Tot peperit gemmas, & gemmea corda Virorum.
Ambit eam gemmis, rutilis ac mille pyropis
Ex ſe Natorum circum pulcherrimus Ordo,
Ac velut auratò quoties incluſa monili
Gemma nitens ſemper majus jubar exerit orbi.
Sic rutilant ejus chari de pectore Nati,
Dotibus eximijs. Sic Cancellarius ò quam!
Principis & Patriæ carum cor! gemma Sigilli
Nobilis, ac præſtans, quem virtus extulit ipſa
Et pietas, & cana fides, & rebus agendis
Pervigil, ac prudens animus: meritusq; tot annis
Majeſtatis amor, ſic gloria temporis hujus
Pontificum Præſul decus & terſiſſima gemma,
CHRISTOPHORVS gemmis ſolidis auroq; notandus
Fulget ALEXANDER meritis, pulcherrima noſtræ
Portio Sarmatiæ, decorat quem gemmea virtus;
Qui Dapifer Regni, placidi dulcedine cordis
Plùs condire ſolet Regis, quàm nectare menſas.
O dulces animæ! quantæ diſpendia lucis

Ex Illuſtriſſima Rupniewſciâ ſuſcepti filij Illuſtriſſimi Joãnes Cancellarius Supremus Regni, Chriſtophorus Præſul & Dux Varmienſis, Alexãder Dapifer Regni. Ludovicus Secretarius Regni. Franciſcus Dapifer. R.

Nostræ fecistis! LVDOVICE JOSEPHE Parentis
Cara sui Proles, nec non FRANCISCE Poloni
Gemma nitens Regni. Jam Vos clarissima Cæli
Possidet immensi Lux; splendoresq; tenetis
Tanto majores: quanto minus usq; profanæ
Luci debetis Divinâ Luce beati
Hosce Polona suos reputat Cornelia Grachos,
Ditibus è gazis pretiosa monilia Natos.
Hîc jam post cantata mihi decora alta Parentum
Tu Præsul superes non una laude canendus.
Si generis fecit Magnum Te, gloria; verum
Dotibus ex animi multo sublimior, atq;
Eloquio quovis digno pretiosior extas.
Flos index animi primus prænuntius alti,
Jam teneræ mentis fuerat maturus in ipso
Flore juventutis: quando Tua mascula virtus
Innocuos mores tenuit, ferventis in æstu
Ipso naturæ, primis ætatis in annis
Sirius Elysiasq; Tuas puras nec adussit
Delicias veris: sed blando sidere fovit.
Nec mirum: meliùs Tibi quàm Berecynthia Mater,
Mater odoratis manibus cunabula sternens,
Fasciolas inter Pæstana Rosaria sparsit,
Lilia mista Rosis: cum Te lactasset ab ungve
Moribus in niveis, castissima norma pudoris
Mater formatrix animi RVPNIEWSCIA casti,
Atq; verecundi, roseæ virtutis amore
Purpureus primis veniebas totus ab annis:
Totus amor factus populi, totusq; venustum
Lilietum pacis: bonitatis svave Rosetum.
Svavis in Officio, responsis dulcis ad omnes
Comis & ex facili veniens in pectora ductu.
Flore sub innocuo spirans mera lilia, vitæ,
Felix ingenio, rerum felicior usu,
Virtutum, studijq; capax, generosus utroq;
In Academia Craci ab Eximijs viæ & doctrina Magistris literis eruditur. Cultôres animi coluit: quos Regia Pallas
In Jagellonea Doctorum sede coronat.
Eximios, doctosq; Viros, morumq; Magistros.
Inter

Inter Vaveleas arces, & littora Craci
Hîc puros latices doctrinæ, dogmata ſacra
De Jagelloneis caſtis, puriſq; fluentis
Hauſit cor ſapiens ejus, tenuitq; Camænas.
Nobilis aſt Genius ſitiens majora ſciendi,
Altiùs antevolans ſtudijs pernicibus ibat,
Ibat in Auſonias terras, ubi Pantheon unum
Vnaq; totius ſeries, & porticus Orbis
Roma triumphatrix, cæleſtibus æmula tectis
Sanctior arcanis, & doctior mille Pelaſgis.
Imperij verum docti, cultiq; Penates,
Hunc tenuêre prius, Pragæ ſubſiſtit, & ante
Olmutij ſtudijs ſtatuitq; vacare Sophorum. *Olmutij & Pragæ Philoſophiæ dat operam.*
Ardor inextinctus, tum virtus æmula laudis,
Diſcendi ſtimulus fuerat, par mentis honeſtæ.
Hinc igitur patiens noctuq; diuq; laboris,
Socraticas noctes, & quidquid docta Cleanthis
Lampas habet, ſplendens, id conſecraverat arti
Palladiæ. Logicæ ſi cæca ſophiſmata ſolvi
Contigit, ex facili victor: ſemperq; triumphum
Et primas meruit palmas, & in ordine primus.
Poſtq; ſoluta brevi doctæ conſortia Stoæ.
Hinc Laurûs geminæ frontem cinxêre coronæ
Et Doctoris apex magno ſibi ceſſit honore.
Vltra per celebris populi luſtrata Lycæa
Per Gentes Rhodanum, Scaldim, Ligerimq; bibentes
Palladias hauſit magnis fervoribus artes,
Et puros latices, quales Sorbona miniſtrat
Doctrinæ Sacræ, ſitiens, adijtq; Sequanam *Pariſiis & Romæ Theologiæ ſtudet.*
Hîc illi potior ſapientia, primaq; viſa
Premere Doctorum veſtigia priſca Virorum
Qui veterum ſervare Patrum, quo tramite ductum
Collimaret iter nôrunt: laudataq; ſêclis
Vera ſequi, virtute pari, fidoq; labore.
Et patuit fructus dum Præſul dogma recentis
Janſenij binæ Synodi Chelmæq; Premiſlæ
Legibus ipſe ſuis reprobum, Patrumq; probavit
Et jam quâ priſcis ſe collibus altius orbi

Vaticanus apex Romana tollit in Vrbe.
Romam proficiscitur. Et qua Tyrrhenum vasto latus unda flagellat
Circumvecta mari veniens pietatis amico
Fædere conjunctus, sacris intentus agendis
Ardebat potiora sequi, cum Pallade totus,
Totus & ipse Sacer. Floræ non culta venustas
Non lætus Campanus ager, non vasta Theatra,
Non gratum Tibur roseum, non Itala Siren
Grande Laertiadis pectus lethalibus olim
Quæ flexit modulis; aures oculosq; patentes
Nec tenuêre suos: sed cælo mente propinqvum
Se virtus Heroa tulit, super omne creatum,
Se toto curis animo cælestibus addens,
Et sitiens aras, ad mystica totus anhelans
Fercula: Convivamq; DEUM flammantibus arsit
Intensus stimulis. Quoties prostratus ad aras
Corq; DEO Divisq; tulit, contriverat illud
Visitat sæpè Ecclesias, aliasq; frequenter. In dulces gemitus. O quantum dulcia fixit
Oscula liminibus Sacris! & busta sacrata
Sacratos Cineres Divûm veneratus & Ædes
Demissis genibus supplex, ex viscere toto
Cor animamq; suam fudit pietatis amore.
Cunctorum mentes rapuit dulcedine morum
Romæ moratur, & à Clemente XI. ex ingenuis dotibus adamatur. Et sensus placidos vinxit, meruitq; favores.
Maximus ille Pater Sacrorum Gloria Clemens
Præsentem Romæ totum cognoverat intus
Consors Divinæ mentis: sensuq; profundo
Eximias dotes animi dilexerat ante,
Sacris condignum Trabeis in mente notavit.
Interea linqvis Latij Capitolia: totus
In Patriam revertitur. In desiderijs Patriæ, jam totus & inter
Carorum dulces complexus; mente revolvis
Ingenia, affectus hominum, commercia lingvæ,
Imperij normam, Census, populi arma, situsq;
Hinc præstans animi cultus, prudentia rerum,
Enituit: primò teneros formata per annos.
Subq; peregrino dulcis sapientia Sole
Lucidior venitq; Tibi, quæsita labore

Egre-

Egregio Præſul. doctæ cultura Minervæ
Dives, & exundans diverſas parta per oras.
Argo tulit pretium Phrygij ſi velleris olim
Cùm repetiſſet ovans victà de Colchide Jaſon,
Per varios Pelagi ſcopulos jactatus, & undas:
Sic pariter Patriæ, cariſſima ditior intus
Inq; Tuo redijt radianti pectore gaza:
Ille nitor mentis terſiſſimus illa profundi,
Vis animi, ſenſusq; gravis, cum nectare, Svada
Majeſtas calami, Trabeæ digniſſima tantæ
Exactæ magnæq; Tuæ lux aurea mentis.
Nec mora ſuſpexit Vavelli gloria montis,
Hic ubi Craciacæ Cathedræ præclara Virorum
Semina Præſuleis creſcunt fecunda Tiaris. *Fit Canonicus Cracoviensis.*
In Te præclaras dotes, ſciteq; locavit
Inter inauratas ſacrati culminis aras.
Inter & electas mentes, & gemmea corda
Sacrati cætus, quorum ſapientia præſtans,
Et dilecta Tuis niveis cum dotibus, & cum
Svavibus officijs. Huc Te felicibus alis
Deportavit honor: Stalli ternasq; Coronas
Floribus in roſeis ternis ornaverat ipſas.
Egregio calcata gradu Fraterna movebant
Arcano Superum placito veſtigia, nam Te,
Ad ſimiles paſſus, ſolido luctamine mentis.
O quantum clarus Fratrum quinarius ordo
Vertice Vavelli Craciâ præfulſit in arce,
Per raro memori numero, probitate coruſcans
Vitæ, præclaris meritis, dulcedine morum.
Inſignes cuncti, virtutis odore fragrantes,
STANISLAVS Primas MICHAEL Paphenſis & Abbas
CHRISTOPHORVS Varmæ Ducis inſignitus honore
ANTONIVS, LVDOVICVS, ſtalli culmina Craci
Omnes ſcandebant animo ſimiles, cor idemq;
In cunctis inerat, tum ſpiritus unus & idem.
Verum necq; ſatis fuerat Tibi, Cracidos altæ
Munera Sacra tenere Togæ, ternæq; Coronæ
Vavelli clarum Myſtam diademate cingi:

 Sed

In Alma Academia Cracoviensi publicè promovetur ad Doctoratū Sacræ Theologiæ.

Sed Te laurigeras inter frontes, Academus
Doctorum Craci statuit, redimitus ut esses
Theologi Doctoris præcinctusq; coronâ.
A Cathedris igitur binis, succrevit abundè
Fama Tuæ laudis; turmatim jamq; subibant
Atria, laurigeræ famuli virtutis Honores
Viderat AVGVSTVS Regni tranquilla potestas
Bellator, Patriæq; Pater, qui tempora nobis
Aurea de ferro gemmisq; nitentia fecit
Pacificus Princeps, qui sub socialibus armis
Viscera dum Lechiæ disrumpebantur acerbè
Disparibus votis, Regniq; medulla peribat:
Ex animo mærens, finem feliciter illis
Et bello posuit; sævos clausitq; furores
Sangvinei Martis. Quantum præclarior illis
Principibus, qui cum decreti jure triumphi
Per stratos hostes, per colla revincta catenis,
Per vinctos post terga Duces, Regesq; potentes
Insolitâ pompâ, Capitolia prisca subibant;
Ipse bis AVGVSTVS clemens civilia corda
Victor non armis, sed Patris amore triumphat.
Quid mihi si videam, rigidi pallentia Martis
Justa triumphorum prisci solennia ritus?
Ad celebres operis pompas formasq; triumphi
Heroas Elephantorum vel mole tremenda
Scipiadas vectos, Lybiæ post bella subactæ:
Si potuit Civis decus hoc auxisse vel unus
Pileolô tectus, liber servatus ab hoste
Culleo, victoris currum post terga secutus.
En Tua jam Princeps, gemmarum grandine tota
Pulchrius ut quondam Pompei fulsit imago,
Effulget super arce Jovis, pluresq; coronas
Et plausus capies populi fortissime Regum
Quam Cæsar meruit: quoniam Clementia Tecum
In solio posuit Sedem. Servare salutem
Vnius Civis curas, quàm perdere mavis
Innumeros hostes. Concordi pace ligasti
Omnia, belligeri concludens limina Jani.

Sar-

Sarmata per Regnum positis strepitantibus armis,
Te jam lætus amat; Te Patrem pronus adorat,
Ad Sacræ plantas Trabeæ, Te gestit, & ambit.
Tu carus Patriæ carissima vincula nostris
Leniter innectis Tua, cordibus, atq; beatos
Imponis nexus, hæc perq; trophæa triumphas.
Viderat ut retuli Princeps, ac viderat intus
Te: censura bonæ mentis, praxisq; suprema
Et Judex animorum; sic totumq; probavit;
Quid valeat facies mentis cultissima tota,
Tota, capax grandis meriti, par rebus agendis.

A Serenissimo Rege Augusto II. Secretarius Maior Regni renuntiatur.

Hinc Tibi cor Patris, diductaq; viscera cordis,
Credidit arcani, fieres conclave beatum
Consilij Secreti, Regni Major ut esses.
Secretarius exactus, prudensq; Minister.
Tu Judex Themidis tuleras responsa Polonæ
Vndiq; mente nitens, majoribus undiq; curis
Auctior, assurgens meritis, sua jura ministrans

Judex Deputatus ad Tribunal Regni.

Cunctis: æqualem nosti librare bilancem
Justitiæ; nullumq; scelus permansit inultum,
Nec virtus violata malis, Te Judice justo.
Quisq; gemens pressus per Te solatia sumpsit
Accessu facilem coluit Te turba Patronum,
Te defensorem justi, Themis ipsa canebat.
Circumquaq; Tuam dextram stipabat amicam
Integritas, probitas, decor illibatus honosq;
Innocuæ vitæ candor, vigilantia zelus.
Luxerat illa dies quâ Lucia clara per orbem
Sacra DEI Virgo, festivis ignibus arsit
Accenditq; rogos plenam splendoris ad augem.
Ingressus primi, dum Miechoviana petebas
Tecta Domus, Solymæ nostræ, jam Præsul & Hospes.

Præpositura Generali Miechoviensi à Sacra Sede Apostolica decoratur.

Ipso die S. Luciæ ingreditur eandem A. D. 1712.

Et quamvis nubes densa caligine cælum
Volvebant, cecidêre nives, cum grandine mixtæ,
Et gelidos imbres protunc adduxerat Auster:
Te veniente tamen subito clarissima rerum
Momento facies redijt: Zephiriq; sereni
Effudere polo spiracula dulcia toto,

Incaluitq; dies ostro flammante sacrato
Præsuleus primus: flagrans nam gratia passim,
Et placido vultu Tua nos, & corde præibat.
Hic ubi Custodes stant purpureæq; cohortes
Excubias obeunt, ad Sacri busta Sepulchri,
Victoris CHRISTI victricia signa canentes:
Tu Vigilum Præses, nocturnis, atq; diurnis
Horis intentus, precibus sacrisq; vacabas.
Jamq; Tibi Princeps ex hoc vernante Sepulchro,
De quo surrexit Victor redivivus ab orco,
Implantans tumulo palmas, vernantia Tempe
Restituit mundo, Floralia festa reclusit,
Purpurei flores creverunt; atq; Tiaræ.
Namq; brevi postquam paulo, cælestia, rebus

Post mortem Illustrissimi Reverendissimi Wolff, Episcopi Chelmẽsis in locum eius succedit.

Humanis exemptus WOLFF decreta secutus,
Chelmensem mersit lachrymis, bustoq; Tiaram
Rex cernens bustum, vindex cui dextera præsto
Vt vincat furiale malum: rursumq; decoram
Restituat Chelmæ faciem: floremq; rependat:
Vitales supplendo vices: quo secla coronet.
Chelmensis Mitræ decora & conclave Senatus
Excelso reserans animo Tibi sponte dicavit.
Ambituq; Tuo procul accedente Supremi

Clemens XI. Pontifex Maximus ad Episcopatum Chelmensem eius evectionem approbat.

Pontificis sensu, qui nil sibi carius unquam,
Duxerat in vita, quàm Te probitate coruscum
Pastorem fieri, quem Romæ noverat olim.
Adstas Łovicias jam consecrandus ad aras,
Agnus, ab innocuo SZEMBEK dilectus ab ævo,
Vellere purpureo gravidus, totusq; venustis
Floribus Alcinoi, Fratrum, cinctusq; coronis.
Tu Præsul CASIMIRI pascebaris & inter
Lilia mista Rosis, cujus Translatio Divi
Fiebat Festi: quando Tua candida vita
Assumpsit Capitis niveam pro vertice vittam.

Loviciÿ consecratur in Episcopũ Chelmensem à Celsissimo Principe Archiepiscopo Fratre germano in festo

Ipse Sacerdotum Princeps, sacraverat Agnum,
Pastoremq; simul: pretiosaq; cornua Mitræ
Inseruit Fronti gemmis auroq; refertæ.
Cujus & ille fuit pretiosis de omnibus una

Ævi Pontificum nostri pulcherrima gemma.
Gemma fuit semper flagrans in Principe zelus
Pro re Divina, pro Cleri paupere censu:
Proq; Domo Domini, Templorum proq; nitore
Prudens, nocte dieq; suum ferventibus ussit
Vindicijs pectus. Sublimi mente fideq;
Omnia judicio recto, sanctèq; peregit.
Implevitq; suum felici tramite munus
Principis, ac Primatis nam constantior omni
Fortunæ Genio: sub tanto turbine rerum
Quando ferocibus armis dilaniabat ab una
Svecus, & ex alia Moschus lacerabat utrâq;
Parte potens Regnum: distractum sicq; peribat
Disjunctis animis intus Civilibus. Ipse
Inconcussus Atlas pro Majestate Coronæ
Supposuit validos humeros: labefactaq; jura
Restituit: convulsum Majestatis honorem
Ac priscum Regis cultum, stabilivit utrumq;
Præsulis hinc etiam partes, impleverat æquè
Mystarum vitam, mores, actusq; recensens
Ipse suis proprijs oculis, ac mente sagaci,
Templorumq; decus: Pastorum munia, ritus
Officij Sacri, doctè scrutatus, & ursit.
Vasta Diœcesis magè sed vastata per annos
Complures, & ubiq; ruens: res ardua Cleri
Ac consumpta manens; crebris furialibus armis
Restauranda fuit. pollutis deniq; Templis
Restituendus honor, priscæ pietatis, & ordo:
Sorbebant animam puram per tædia mille
Sollicitæ curæ: succurrere namq; necesse
Afflictis habuit rebus; consurgere rursum
Bello vastatas igitur Princeps opulento
Fecerat ære suo supremi Numinis ædes.
Vsibus augustis Superùm, tot munera, totq;
Vasa Ministerij Sacri, quot Templa recensens
Indiga, pauperie renitentia, squalida, nuda,
Confert: ac tribuit calices & vestibus illa
Sacris exornat; pia tot monumenta relinquens

Translationis S. Casimiri in Augusto, A. D. 1713.

In Templis spoliatis, quot vestigia fixit.
Aurea Gnesnensi Cathedræ pretiosaq; plura
Vestibus in Sacris, argentea donaq; liquit.
Non damnavit opes tenebris, Patrimonia CHRISTI
Nec tenebricosis ac tristibus abdidit umbris.
Omnia sed CHRISTO, Sacratis ædibus ejus,
Pauperibusq; locis, etiam post fata dicavit.
Concidit heu solido facta ex adamante corona,
Flos Capitis nostri, Princeps, primusq; Senator
Mole sub ingenti meritorum, secula nostra
Ingemuêre cui, præsentia cuncta gementq;
Eheu vix habitura parem. cûi deniq; nulla
Par calami vis est: ut totum dicat, & orbi
Proferat; astq; DEO cûi conjunctissimus hæsit,
Notior ex meritis; qualis nam vixerat uno
Totus in arcano Divini fixus amoris,
Talis in extremis moriens in vulnere cordis
Vivifici CHRISTI lateris, præcordia svavi
Tota Cruci dederat, cui fixit & oscula mille.
Cumq; animam meritis satur, exhalaret opimam,
En examen apum sensim cum murmure læto
Advolat, & revolat, nunc limina, nuncq; fenestras
Pulsat Heri morientis: nunc jam lilia circum
Melligeræ funduntur apes, & floribus Horti
Insidunt varijs. celeri densoq; volatu
Sparsæ per roseos flores, qui Stemma vetustum
Formabant: saltusq; suos & olentia nactæ
Pascua, jam ceras, jam dulcia mella reportant.
Mellis apes innatus amor si traxit habendi,
Ad roseos flores; cur non flectetur ad illos
Posteritas: cujus dum grandia facta revolvet
Principis illimem vitam, cum melle relictam,
Et totam releget; fructus habitura perennes,
Melliferâ gaudens veluti pascetur in Hybla
Archiq;præsuleam vitam, tot gesta, tot actus
Hactenùs in seriem ductos, cæloq; nitentes,
Jam Divina manus longum signavit in ævum.
Nos sequimur Chelmam quo Tecum tramite pulchro
Du-

Duxit Fratris amor cujus vestigia passu
In puncto simili servas, dotesq; vel æquas.
Venerat illa dies quâ Sponsam Pastor adibas
Lumine clara Tuo, sed majus lumen adauxit
Magna DEI Mater nitidi prænuntia Solis: *In festo Nativitatis B.V. MARIÆ ingressus ad Cathedram Chelmensem, A. Di 1713.*
Cujus Natalem protunc celebraverat orbis
Hæc Tibi fulgidior Virgo præluxerat inter
Festivos populi plausus: ignesq; micantes.
Auspicijs Divinæ Matris adeptus Honores
Jam felix intras Cathedram jam nomine Terræ
Chelmensis veniunt Proceres, solennia fausti
Vt voveant gressus: & læta fronte salutent.
Vndiq; vis populi surgit, prænobile jungens
Officium. Prælatorum, Cleriq; Corona
Non adeoq; frequens, sed Te dignissima cingit.
Prælatus Delamars niveô, ceu lilia Svadæ
Eloquio vernante suo, promit ore salutem
At Tu respondes itidem roseoq; rotundo.
Postquam Crasnostavia Sacrâ Sede locavit
Pontificem, Zamoyscia Te populosior ambit
Et spectat; pariterq; vias & brachia pandens
Complexus dulces & Ave designat amicum.
En ZAMOYSCIVS & Lechicæ pulcherrima Gentis *Cum plausu ingreditur Urbem & Fortalitium celebre Zamoyscium suæ Diœcesis.*
Gloria, tutamen Cleri clarissimus idem
Ex Atavis meritisq; suis virtute decorus
Excipit occursu festivo sangvinis alti
Pontificem, faustoq; aditu deducit in Vrbem.
Funditur interea Comitum longissimus ordo
Resplendens facies Magnatum læta quadrigis
Occurrit niveis. Vrbis densissima longe
Agmina funduntur vexillis undiq; pansis,
Classica tum sonuêre tubis; æs nobile passim
Auditur, Lechicusq; movet sua tympana Mavors
Jam litui sonitu, tormentaq; bellica circum
Mænia flammigeris mugitibus àëra complent.
Armaq; corripiunt oculos, fulgentia latè
Ac longo tractu, circumstantesq; Phalanges
Hoc ductu Tu Præsul ovas, portasq; subintras

Vrbis mille vijs populi, deductus ad Ædes
Franciſcanorum primo, plauſuq; ſecundo
In primum Templum penetras Zamoyſcia virtus
Heròúm pia magnificè quod ſurgere fecit.
Præſuleas curas, condenſatosq; labores
Quo vocat & pietas, & Cleri poſtulat uſus,
Irrequietus ab hinc animo feliciter urges,
Et facis, ut dones communi Teq; ſaluti.
Audijmus ſenſimq; redit, memorabilis illa
Eloquij dulcedo Tui, cum verba referres

Prædicat verbum frequenter ad populum.

Ad populum Divina piæ pleniſſima vocis,
Doctor in Exedrâ Sacrâ, menteſq; trahebas
Inſtabiles humanas, ad meliora ſalutis
Æternæ bona, tam verbi ſermone diſerto
Quàm magis exemplo morum, vitæq; probatæ
Pungebas vitium ſpinis, virtutibus autem
Stillabas vires, ſimul ac de fonte Roſarum
Vno & eodem, gens ſcarabæa necem tulit: unde
Hauſit apis vitam. De Te referamne quid ultra
O Præſul? modicâ mihi, quæ teſtudine nixo
Audacis Muſæ ſpes? & non æqua poteſtas.
Lucis opus tantum tenui deducere cantu?
Tu lux, Tu menſura Tui, Tu maxima laudum

Cuncta cunctis ſine delectu Sacramenta miniſtrat.

Ipſe Tibi ſeries, curis majoribus olim
Digna ſecuturi SZEMBEK Tu gloria ſecli.
Ipſe Sacerdotum Dux, Sacramenta ſalutis
Ac ſine delectu cunctis, dum cuncta miniſtras
Ignaras animas lucis, tunc luce replebas
O verè Paſtor. Multarum copia rerum
Depluis in Sacros cultus, prædivite quaſi,
Me verbis inopem reddit. Tua dextera namq;

Pauperibus providet alimoniam veſtes quotãnis illis diſtribuit.

Aurea vena Tui, vivis & tota fluentis
Semper inexhauſtis manans: eſt facta perennis
Rivus egenorum, vultu quemcunq; tueris
Sol veluti ſterilem glebam: ſic meſſe beata
Vndiq; fecundas: miſeris ſingultibus Echo
Eripis, & tacito Præſul qui perſtrepis auro.
Veſtiturq; Tuo tenero de vellere pauper.

Carum

Carum Sponſa ſuum Sponſum, proprijq; Coronam
Te coluit Capitis: Tu gloria Sponſus & omne
Cor fueras Sponſæ: dilecti dulce monile
Pectoris: ornatam totam, totamq; decoram
Reddideras illam. Rutilant altaria Diuûm,

In Eccleſia Cath:Chelm. Altare maius S. Joſephi, Reliquiarum SSmi Sacramenti, B. V. MARIÆ Czeſtochov. exſtrui & deaurari fecit.

De manibus plenis, auri velutiq; fodinis,
Quina Cathedralis Templi, veſtita metallo
Sat nitido, primo, gravidi fulgoris obrizo.
Devicit tenebras, triſtem noctemq; priorem
Majeſtas aræ majoris, deinde JOSEPHI
Et Lipſanorum, SACRAMENTIq; Sacellum:
Cernitur ad cujus poſtes, inſcriptio verſus
In Cruce quem cernis, ſub velo panis adora:
Claromontanæ Divæ quoq; Virginis ara.
Atq; Pavimentum per totum marmore ſtratum

Pavimentum marmoreum ibidem ſterni curat. Ambonam novam deauratam erigit. Sacras Veſtes apparamentaq; varia comparat & applicat. Infulam Pontificalem reformat, ac pretioſiorem reddit.

Et ſubvecta tholo ſurgens Ambona peralto,
Aurea Divini Verbi, ſtat, & aureus ore
Præco ſalutaris: pretioſis veſtibus imples
Arte laboratis Phrigiâ Sacraria Templi.
Pontificale decus, quod Maciejovius olim
Contulerat, Mitram: ſed in illa gratia textus
Nulla fuit, totam tenui diſcernis in auro
Ornatuq; novo, gemmarum ſtamen in oſtro
Diſponis: depinxit acus formoſior ipſam
Ac meritum pretiumq; dedit. Templiq; ſub aſtra
Tectis eductæ, tollis faſtigia Turris.
Ædes Pontificum reſtauras: ſemina Cleri

Turrim altiq evehit & cõtegit ære. Ædes Pontificum reſtaurat. Seminarium erigit.

Spargis, ut ex illis Myſtarum cultior ordo,
Meſſis, & exundans fecundâ creſcat ariſtâ
Sic Sponſam ſplendore, Viris, cenſuq; perenni
Ornatam reddis: ratus id quod pulchrius aræ,
Templaq; florebunt, quæ Tu floreſcere curas:
Si Clerus nitidis, ac cultis ſtabit ad aras
Moribus excultus: roſeoq; rubore vireſcens.

Tu vitam moreſq; probos: actuſq; recenſes:

Per ſeipſum viſitat omnes Eccleſias Diœceſis ſuæ.

Excubias Paſtorum: Templorumq; nitorem
Et per mille vias: per tot diſtantia, totq;
Invia terrarum, fluvijſq; rapacibus hauſta

Ecclesias & Altaria, Calices Abbatissas consecrat.

Ponis gemmatis vestigia digna coronis.
Consecrasq; DEO radiantes Numinis aras,
Vestales Sacras: pretiosaq; vasa dicata
Plurima sunt per Te Superis. Sed cælitùs illa
Jam signata DEO fasti clausêre perennes.

Synodum indicit, & celebrat Crasnostaviæ.

Dumq; vigil Pastor Sacrum disponis ovile,
Legibus ut stringas, Synodumq; indicere Clero
Prægrandi (cura) statuis. Pulcherrima rerum
Occurrit facies, quam Crasnostavia cernit
Vix quarta vice post tot secula terna reductam
Culta Diœcesis, tum spectatissimus ordo
Mystarum, seriesq; DEO gratissima, totos
In se oculos rapuit. Senio venerandus & ore
Ipse tiaratus Chelmæ Vladica JOSEPHVS
Cumq; Sacerdotum Græci ritusq; corona
LEWICKI: tot Prælatorum nominis alti

Reliquias SS. introducit processionaliter ad Cathedram.

Pontificem numerus Te digno duxit honore
Ad Cathedram, plausu populi: nam plena triumphi
Corpora Sanctorum Cathedrali Sede locabas
Auspicio Synodi. Sic justo pondere rerum
Condebas leges; ut eas moderamine dulci
Condires, nimio, duroq; rigore nec arctas,
Nec molli fecisti libertate solutas.
Nempe viâ solitâ, qualem vestigia Patrum
Monstrârunt tritam, Tu devia cuncta reducis
Ad normam veterem Legum. Tu dogma nocivum
Jansenijq; novum reprobas. Sancita tueris

Cõstitutiones Synodales condit.

Pontificum; Regni servasq; statuta Poloni.
His Judæa cohors, infida, molesta, rebellis,
Legibus antiquis constricta Tuisq; tenetur.

Ex bonis Põtificiis expellit Judæos aliisq; Diœcesis suæ locis.

Gens recutita, Bonis mensam spectantibus, abs Te
Est exacta Tuis. nullo præventa labore
Lætas Rossiacas Terras exhausit: & ipsos
Sic parvo Dominos lucello semper inescat!
Vt pingves rapiat glebas, & corda Potentum.
Hanc servare dies urges, quoscunq; fidelis
Observat populus festos: gentiq; superbæ
Inservire vetas, junctos habitare vicissim

Catho-

Catholicis prohibes. Hinc jam mihi vellicat aurem
Hæreticis ſemper virtus inimica tot Hydris,
Romanæ fidei candor, defenſaq; zelo
Vindice cauſa DEI. Ritus & plura ſacrata
Templa Deo Grabow, Moſtek, Cathedrale per arma
Militis indomiti, quæ tunc violata manebant.
Sollicitis ſtudijs immunia Jure tuliſti.

Hæreticis infeſtus. Immunitates Eccleſiarum tuetur, & Iure vindicat Grabow, Moſtek & Cathedralis.

Tendimus ad montem, de quo clariſſima Matris
Gloria Divinæ, per tot miracula fulget,
Virginis Auguſtæ, totum rutilatq; per orbem.
Præſuleus certabat honor, quis ferre Coronam,
Quis redimire Caput, Reginæ Virginis Almæ
Iconis inſignis poſſet: SZEMBECIVS unus
Vicit Pontificum paſſum. potiore Coronam
Sorte tulit Divæ, quam Præſul Sfortia quondam
Diſpoſuit Romæ, teſtamentoq; reliquit.
Maximus ac Paſtor Sacrorum Gloria Clemens
Romuleæ ſpeculæ Sacro de vertice ſpectans,
Pro cunctis vigilans, hanc diſpenſavit in oras
Sarmaticas noſtras, Thaumaturgæq; dicavit.

Imaginē miraculoſam Czeſtochov: ſolenniter coronat.

Alexander Sfortia Comes Præſul Canonic9 SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Vaticano Autor & fūdator coronarum, quibus coronantur miraculoſæ Imagines in varijs locis ſub Clemente XI. Pontifice Max. fit actg coronationis cui largitus eſt maximas gratias & indulgentias.

In terris Natæ ſolennia feſta MARIÆ
Tunc fuerant: aurora genas dùm vertice cæli
Protulit ut primum: liquidos Solisq; jugales
Præveniens, cum rore diem ſignavit amicam.
Mente vigil, grandes agitans in pectore curas.
Impatiensq; moræ, primus molimina Præſul
Incipis atq; vices cunctas diſponis ad actus
Solennes: creſcit populi vis maxima circum
Acceleratq; vias: nubes denſiſſima campos
Obruit, exceditq; oculos tenuitq; videri
Tota ſimul populi devoti: gentibus ex tot
Diverſis Alemannis, Pannonijsq; Bohemis,
Sileſijs ac Littauicis, alijſq; remotis
Conflatis, ingenti concurſuq; ſtupendo
Ad tales actus, & ſacra feſta Coronæ.
Hîc velut Oceani (quoties immania ſurgunt
Flamina ventorum, Borea certante, Notoquè,
Inſtant cærulei fluctus) ſurſumquè deorſum

In feſto Beatiſſimæ Virginis Mariæ Nativitatis.

Fit Proceſſio ſolennis cum concurſu quā maximo populi.

Emotis fundo rurſumq; cadentibus undis.
Fluctivaga ſic mole ruit: ſic turba refluxum
Immenſi populi recipit. fit clamor & inter
Miſcentur lachrymæ dulces, & gaudia læta
Panditur interea facies pulcherrima viſu
Hinc Mitratorum plenus longiſſimus ordo
Abbatum Te cingit Pontificumq; Tiaræ
Hinc rutilant gemmis, ardent & mille pyropis.
Inde ſubit numeroſa Viris; auguſtaq; toto
Conſpectu facies; primi de flore Senatus
Seu Procerum Regni, ſeu fors de Principe cætu
Heroûm, belliq; Ducum, peregrinus & omnis
Auctus honos: & Pauliadum ſtans candidus Ordo,
Expanſos tractus, & Majeſtate verendam,
Celſius attollit Scenam. Tu pronus ad aram
Præſuleam ſternis Trabeam, CHRISTIq; Parenti
Tecum ſupplicat omne genu, ſolvit pia vota.
Ocyùs hinc ardens ſummis diadema pyropis
Moleq; gemmiferâ gravidum, SZEMBECIA tota
Imponit Capiti Imaginis coronam devotiſſime & affigit. Quod devota DEO Domus exornaverat aptè
Gemmiferis claudens proprio de viſcere gazis,
In Caput Auguſtæ deponis imaginis ipſum.
O nimium dilecte DEO, cubitale JOANNES
Dilectus quondam tenuit ſi pectus JESU
Diſcipulus CHRISTI: Matris dilecte ſecundus
Tu Caput es meritus, ſacrâ redimire Coronâ.
Mille per anfractus reboant, tormentaq; ſœta
Pulvere ſulfureo poſthac: mugitibus implent
Omnia; Reginæq; ſuæ munitio Clari-
Fortalitij Czeſtochovienſis deſcriptio. Montis in applauſu fervet. natura manuſq;
Robur ab arte dedit cui murus aheneus ut ſit
Lechiadum Regni; loricis, ceſpite vaſto,
Rupibus exſectis, vallo foſſisq; profundis
Firma gerit circum tot propugnacula: verum
Matris Imago tamen plus quàm fortiſſima Turris.
Concluſiones Theologicas in Claromonte oppugnat. Poſtridiè doctè Studij certamen obiiſti
Theologum Claromontani: dogmata cujus
Oppugnans facili methodo, palmaria ſerta

Inde tulit Sapiens virtus Tua, digna Coronis
Quippe Tibi constans semper, par omnibus & se
Ad quodcunq; genus Studij, Svadâquè Styloquè
Insinuans, ignavæ mens inimica quieti
Acri judicio pollet: sat provida cautis
Vndiq; consilijs, prudens, & nescia frangi.
Vertis iter retro Crasnostavumquè reposcis:
Præteritos actus devotâ mente revolvens
Vt similes iterum facias renovesquè futuros.
Nec mora. Rossiacas insignis Imaginis hujus
Quæ Belzæ latuit, quingentos usq; per annos
Floreat ut cultus, latas rursusquè per oras
Continuâ curâ statuis. Disponitur ergò
Ara nitens Divæ, rutilo visenda sub auro
In qua persimilis primæ statuatur Imago
Claromontanæ Genitricis, major ut inde
Crescat in immensum Laus Nati, Gloria CHRISTI.
Ad celebres actus, cunctos quoscunquè fideles
Illicio svavi trahis; ut pro tempore fixo
Conveniant. Celeri passu glomerantur, & instant.
Effusæ populi per dissita compita turmæ.
Effigiem Matris summo dignantur honore
Præses Sacrorum Summus, Pater Orbis & Atlas
Devotas animas per nutrimenta salutis
Divinâ firmavit ope: concessaquè plena
Spes veniæ cunctis. O quanto Præsul amore
Ardebas! non sat Tibi, Divæ tempora Matris
Claromontanæ, Sacrâ cinxisse Coronâ
Inq; Tuâ Cathedrâ fieret nisi, clara coronis
Cara DEI Mater, simul ac constringis in uno
Corde pio LVCAM, Divinum pronus adoras
Artificem pariter: Sacram cùi ponis & aram
SKIERBIESSI, dignum censendo luce perenni
Qui dedit in lucem tam nobile Matris amoris
Artis opus. Verùm septem labentibus annis
Postquam Chelmensem sublimi mente, fideq;
Illæsâ Cathedram, cautè, sanctèq; tenebas,
Ornatam multis meritis, donisq; peramplis.

Crasnostavum revertitur, & Imaginem persimilem Czestochoviensi ad Cathedralem Ecclesiã processionaliter introducit.

Indulgentias ad hunc actũ plenarias impetrat à Clemente XI.

Imaginis miraculosæ Artificem D. Lucam honorat; eidem in Skierbießow Curiæ Episcopalis Capellæ erigendo Altare.

Pro-

Transfertur ad Episcopatum Premysliensem post translationē ad Culmensem Illustrissimi Bokum.

Protinus ut decreta Poli jussêre Mitrato
BOKVMVM cessisse loco: Culmense Tiara
Altiùs evectum: jam Te Premyslia læto
Suscipit ex animo; per gaudia mille triumphans
Quod sibi totus amor venias, & tota JOANNIS
Gratia sit Tecum, fons vitæ lætitiæquè
Ipsa medulla Sacri cor & dilectio Cætûs
Ipsaq; Cristallus niveæ perlucida mentis.
Namq; Diœcesis miræ dulcedinis in Te
Omina concepit, felicibus omnia votis
Eventura sibi: quoniam sperare jubebant
Gestorum monumenta prius, præclara Tuorum
Quod fieres ipsi demum speciosa coronis.
Suspensos animos nunquam spes vana fefellit,

Montem pietatis Rzesſoviæ resuscitat & adauget quem fūdavit Lucas Doctorius olim Canonicus Cracoviensis.

Nam quoq; Rzeszovi montem pietatis adauges.
Fundamenta pius LVCAS Doctorius olim
Jecerat: ut populi promptum mortalis egestas
Sumeret auxilium. Regimen stabilisquè salubri
Cujus decreto. justum superaddis & aurum.
Censuit hoc virtus & prodiga sumptibus amplis

Brzozoviæ Parochialem Ecclesiam veterem structuris insignem in Collegiata erigit.

Dextera plena Tuis: ipso vel ditior auro,
Quatenus in Brzozow vernans insigne maneret
Hocce Tuæ pietatis opus: dùm surgere mandas
Illam quæ jacuit simplex Ecclesia quondam
Ad titulum Collegii: Pro! retinere Togatos
Præstantesq; Viros ubi stat Residentia cara
Pontificum, quis? quantus honor? quæ gloria Templi.

Summus Pontifex iubet Collegiatam fieri.

Christiadum vertex Romanâ Sede coruscans,
Favit ab excelso, Sanctas operasq; probavit.
Emeritus miles, rude si veteranus ut olìm

Nosocomium pro Sacerdotibus valetudinariis ordinat cuius intuitu 22. m. aliosq; proventus disposuit.

Depositis armis fuerat donatus, & altus
Vrbis communi victu, censuquè parato.
Viribus exhaustos, senio fractosquè labore
Presbyteros refoves: alimenta, locumq; ministras
Nudos veste tegis. potum sitientibus offers:
Te SBASKI Patrui Materni Spiritus altus

Proprio sumptu aliquos alumnos fovet in Semi-

Ac sacro fervore calens, incedit ad actus
Divini cultus; nam per quem Missio Patrum

Hic

Hic fundata ftetit, comples, & ponis alumnos
Majori numero Cleri quin cultior ordo
Vt fiat vigeatquè DEI Sacra Vinea fetu.

nario Congr. PP. Miſſionariorum, quos fundavit Illuſtriſſimꝰ Sbaſki, Epiſcopus Premysl. Patruus Maternus.

In Brzozow Templi binæ faſtigia Turris
Impenſis evecta Tuis, ad ſidera tollis
Immortale Caput pariter Nomenq; perenne
Illa Tuum ſemper referent tollentq; viciſſim.
Putrida Premyſli reparas Tu tegmina Templi

Tectum tegulis latericiys curat.

Atq; pavimentum Cathedralis marmore ſternis,

Pavimentum marmoreum ſternit.

Picturis ornaſquè Chorum, modulamine dulci

Chorũ picturis decorat.

Æternam panget famam reſonabilis Echo
Regia donorum depromis larga metalla
In ſacros uſus, varium Templiq; nitorem,

Pluvialia varÿq; coloris apparamẽta confert.

Veſtibus hinc Sacris renovas Sacraria Templi
Nil vacuum gemmis, nil quod non purpura texat.
Sidoniuſq; color. nil hic non fulgurat auro.
Inde novis binis Tua Gratia fulget in aris.
Major & ara nitet rutilis fulgoribus auri,

Prima Altaria deaurari curat.

Atq; viret ſparſim vario diſcreta colore.
Deq; Tuis holoſericeis decoratur abundè
Aulæis Templum doniſquè, Ciboria Sacra

Aulæa holoſericea vulgo de Adamaſco Veneto Eccleſiæ donat.

Argenti niveo cernuntur cuſa metallo.

Repoſitorium ſeu Ciborium pro SSmo argenteũ 4tuor ulnarum altitudinis fieri curat.

Et cum tot facias, tot prodigialia dona
In cultus tribuas Superûm, tamen ipſa redundant
Munera frugiferæ Cereris, cunctiſq; replentur
Atria pulchra bonis. Et Radomienſe Tribunal
Quas non hauſit opes? dum pro ratione tuendi
Proquè decore ſtatus cautè dignequè miniſtras
Præſidis Officium. Repetiſti Cracidos Vrbem,

Præſes & Supremꝰ Judex Tribunalis Radomienſis per aliquot annos.

Hic ubi conſurgit moles pulcherrima Templi
Numine digna DEI: dilecti Nomine talis
Digna TUI Fratris. Sociâ virtute ferebas
In fundum primum lapidem, fundamen & ipſum
Conſecrando piè. Regum ſi Regia ſurgit

Primum lapidem impoſuit Templo & benedicit fũdamentũ illiꝰ

Sumptibus immenſis; Æterni Manſio Regis
Fundatur pariter ſic: Cancellarie Magne,
Namq; putas alibi non pulchriùs omne nitere
Aurum, quàm quod cæleſtes formatur ad uſus.

quod Supremus Regni Cancellarius, Illuſtriſſimus D. Joannes Szembek magnificè ædificat.

Ergo marmor ebur, gemmas, huc Magne JOANNES
Confers. O quot Templa DEO formoſa locabis,
Vna DEI, caſtæ mentis, ſi manſio Virgo.
Flammigeri Vatis nimium dilecta propago

Allocutio ad SS. Virgines à Monte Carmelo S. Tereſiæ quibus pro Novitijs Monialibus ſumptuosè Conventum ædificat idem Illuſtriſſimus Cancellarius.

Eliæ Magni qui vivus adhuc ſpatiatur
Inter odoriferos flores: vivitquè beatè
Hic Tibi continuò ſpecioſa dicatur Eremus
Montibus in Sanctis Carmeli: celſa Polorum
Culmina conſcendes cæli cum ſidere terno.
Ver Tibi perpetuum viridantia gramina pinget.
Ac Paradiſiacas ſparget non una venuſtas
Delicias. Vobis præſtabit Magna JOANNIS
Sacræ Veſtales, hoc totum gratia floris.
Hîc æternus erit roſeus, ſemperquè virebit,
Vnde piè nutriemini apes, & prata legentes
Tradetis Seclis cæleſtia mella futuris.
Jam calamum Montana levant, quia Dædala virtus

Eccleſias ſubmontanas & per Montes Carpati viſitat.

Carpatij Montis loca, per prærupta, volatum
Pernicem dedit, & volucres pennas Tibi Paſtor
Per varios flexus ſita dum Delubra reviſis
Conſecrata DEO, vitam, moreſq; recenſes
Paſtorum, curas, ac Templorumq; nitorem.
Nil Te triſtis hyems: etiamſi frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frænaret aquarum
Terruit. atq; cadens alto de vertice præceps
Nix reſoluta jugi: nec Te tenuêre rapaces
Carpatici fluvij, circumlatrantibus undis.
Ardua viciſti: flexiſti devia rectè
Per montes, hominum mentes infracta domabat
Mens Tua; ſvavibus officijs, & dotibus, & cum
Eloquio dulci. Tandem Te cura fatigat

Synodum Brzozoviæ indicit & celebrat.

Grandis, & invictam mentem, vireſq; perurget
Condendæ Synodi: ſtudijs certantibus inter
Prælatos Cathedræ: quoniam Premyſlia priſcum
Ardebat ſervare locum, ſedemq; futuræ
Vſurpare ſibi Synodi, de more volebat
Judice Te juſto verum Brzozovia compos
Fit deſiderij, quam non temeravit Apella,

Sacræ

Sacræ gens inimica Cruci: nec Schiſma Ruthenum,
Hæreſis errores non infecêre fideles.
Hîc fecundus ager: delectat meſſe beata,
Hîc tellus campiſq; virens, pratiſq; redundans.
Vberibus, vitreis claret circumflua lymphis.
Hinc etiam celebri fama viſendus ad Auſtrum
Pannonicas ſcindens à Nobis Carpatus oras
Vndarum nemorumq; parens, ad Dacas & Iſtrum
Cyclopæa velut terrarum brachia pandit
Immenſo tractu: nec ſemper vertice calvo
Projicit in ſublime caput: ſed feta manîplis
Flava Ceres profert ſegetes, & Flora venuſtos
Alcinoi flores: & fontibus inclyta Nais
Vndarum ſcatebras; hinc atq; cacumina pulchris
Arboribus veſtit Pomona ſuis; nihil hîc eſt
Quod non oblectet ſenſus: oculoſq; Sagaces
Non rapiat: quoniam totum natura venuſtum
Si quod opus per tot latè connexa reliquit,
Tranſtulit huc viſu: tum cunctaq; commoda vitæ
Hic poſuit ſaltus, ſpelæaq; plena ferarum,
Innumerum Pennatorum numerumq; coëgit.
Et cum tot natura bonis, doniſq; repleſſet
Ipſa locum: multo celebris Brzozovia tandem
Fit Synodo: quam Tu prudenter Maxime Paſtor
Perficis, ac ipſam felici fine coronas.
Venerat illa dies decades optata per octo
Annorum, ſupra: quamvis tractabile cælum
Non fuerat: quoniam pluvijs totumq; ruebat;
Mente ſerenatâ tractare negotia paſſim
Tu tamen inſiſtis. Divûm Lipſana Sacrata
Infers in Templum, cum Majeſtate verenda
Cum populi voto. Myſtarum ſplendidus ordo
Et Prælatorum Te ſpectatiſſimus Orbi
Ad Cathedram deduxit honos: Sanctèq; peracta
Omnia judicio ſublimi, mente fideq;,
Oſtendêre Virum, qualem ſibi jure tot annis
Roſſiacæ Cathedræ Sedes optabat, honorq;
Legibus hinc formata bonis Premyſlia vivet,
Et quoties avidis oculis, ac mente revolvet

Has leges, toties, vocem Paſtoris amicam
Sentiet eſſe ſui, qui cor & viſcera tota
Pro Clero poſuit, pro Templorumq; nitore.
Proq; Domo Domini, totus ſudavit & alſit.
Pertinet ad Mitram, rerum ſpecioſa Coronis

Illuſtriſſimus Rndiſſimus Franciſcus Szembek Epiſcopus Margaritenſis Suffraganeus Premysl.

Per Te geſtarum, nitidiſſimus Vnio Veſtri
Sangvinis innocuo veniens FRANCISCVS ab ævo
SZEMBEK, quem roſeo Nativi murice Flores
Ornarunt: Meritis qui debebantur honores,
Veriùs aut dicam, qui Præſul honoribus iſtis
Pridem gemma foret, tantas portaſſe Tiaras
Dignus erat. Quod namq; peto Premyſlia poſſet,

Conſecratus Iaroſlaviæ ad Aram Beatiſſimæ Virginis Mariæ miraculoſæ in Feſto Tranſlationis S. Caſimiri A. 1724.

Stans orbata Tuo vultu, ſolamen habere,
Hæc niſi de Pelago cæleſti Margaris eſſet?
Cernunturq; ſimul tantos geminare decores
Lilia miſta ROSIS, quibus eſt non ditior ulla
Ripa Tagi. Poſt Te his Opibus Præmyſlia felix.
Hoc Tibi pro meritis, non jam teſtudo Pelaſga
Parnaſſi veteris bifido de vertice carmen
Votivum cecinit: verùm de Rupe Sepulchri
CHRISTI Cuſtodum, Tua devotiſſima Clio.
Hîc Tibi purpureis Princeps Celſiſſime nimbis
Depluet irriguum Pæſtana Roſaria Cælum.
Hîc totus vives Roſeus: quem Purpura bino
Murice condecorat: quâ Tu præclarior extas
Pontificiſq; Duciſq; tenens Auguſtal honoris.
Per populos Te fama vehet: nec deſinet unquam
Chelma loqui veras de digno Præſule laudes
Porrò delicium proprij Capitiſq; Coronam
Sponſa ſuum Sponſum, ſemper Premyſlia dicet
Varmia Te poſcit: felix procedeq; magnis
Paſſibus, ad decus hoc, tibi quod virtute paràſti.
Nos quoq; Cuſtodes, votis pleniſſima noſtra
Barbita, cum Muſis, totâ cum Pallade doctâ
Tollimus ad plauſus: noctuq; dieq; canemus,
Vivat Honos, præcelſus Honos, manſurus in ævum
Donec odorati durabit Gloria FLORIS.